



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Opvs De Ivdiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos & Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

Capvt XXXV. Quinta caussa, aliarum virtutum occasio, permißione adulteriorum, hominibus à Deo oblata.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45686**

tus hortulanis similes forent, qui, ad aues à fructiferis arboribus absterendas, non sericum aut pretiosum, sed vilem pannum solent suspendere; ita enim ad adulteros, ad latrones & fures è Rep. eliminandos, non iij, qui sericis vestibus fulgent, sed plerumque pannosi duntaxat suspenduntur. Quis tales judices judices esse dicat? Alienis peccatis iniusti sunt, quibus punitis, justi cælum meruissent. Ut enim ægrorum morbi medicis occasionem offerunt ditescendi; ita adulteria altaque criminis judicibus dant ansam iustitiae exercendæ, & merendi rationam iustitiae.

## C A P V T XXXV.

*Quinta cauſa, aliarum virtutum occasio, permissione adulteriorum, hominibus à D E O oblata.*

I.

**M**agistratui, adulteriorum permissione, Deus cauſam offert iustitiae, alijs patientiæ colenda; virtutumque aliarum. Tam bonus artifex est orbis Gubernator, ex inhonesto vnius facto, promouet res alterius glorioſas. Difficile est, fateor, si coniux in suspicione adulterij ponatur, coniugem alterum esse patientem. Multi, si alterum vident virribus suis blandè palpari, si vel colloqui, si vel nutu, vel oculo vnico benevolentia propinare, illico sunt in vindicta; nec jam illis gestiunt pugni, sed ipsi etiam pruriunt pugiones. Et tamen sunt etiam, qui animo forti tunc dolorem ferant & perferant. Res non fuit; fuit tamen, apud ignorantem, species magna,

Matth. 1. 18.

S. Augustinus  
ep. 54. & ferin.  
16. de Verb.  
Dom.

cum, antequam Mater Dei & Ioseph conuenirent, MARIA invenienta est in utero habens de Spiritu Sancto: & tamen IOSEPH vir eius, cum esset iustus, noluit eam traducere, seu ignominiosè accusare, atque in exemplum puniendam tradere; enim verò, vt D. Augustinus vertit, nec diuulgare voluit; hoc vtique exemplum suæ patientiæ vtilius censens ijs, qui, ob quoduis vel minimum indicium, illico vxores suas, maritos ué, ubique proclamant. Proclamant enim, non rumificant insipientes; nam postea, ubi probatio defit, cum infami coguntur habitare, &

magister

mœrorem perpetem aspicere, postquam vxores suas, ex oppre-  
brio lachrymantes, concinnauerunt. Noluit hoc facere Ioseph,  
cuius proinde tam patientem clementiam, arcanissimi mysterij  
patefactione, Angelus erudituit, qui mentis seditionem illi ora-  
nem in tranquillum contulit.

II.

A viro hoc sumtum narraui, & è saeris. Dabo & feri-  
nam, atque è profana historia generositatis huius doctrinam.  
*Tertia Emilia Africani prioris vxor, mater Cornelie Gracchorum,* Val. Maxim.  
tante fuit comitatis, & patientia, ut cum sciret, viro suo ancillulam lib. 6, c. 7.  
ex suis gratiam esse, dissimulauerit, ne domitorum orbis Africani fa-  
mina impudicitie reum ageret: Tantumq; à vindicta mens eius ab-  
fuit, ut, post mortem Africani, manumissam ancillam in matrimo-  
nium liberto suo daret. Scio quid iura ciuilia dicant, scilicet fæ-  
minæ alienam prolem marito alendam dotandamque suppo-  
nentis adulterium magis aestimari atque sentiri; sunt tamen fæ-  
minæ rualium ac ætuarum suarum longè impatientiores.  
Quare tantò patientia est illustrior, quando ad hanc tam atro-  
cem iniuriam sibi impactam, possunt linguam continere, & ta-  
cito corde premere dolorem illum, quem aliae mulieres non  
modò vicinis feminis, sed etiam vicinis plateis, & sàpe toti ci-  
uitati conqueruntur. Neque enim multæ sunt Saræ, quæ se-  
cum Agar Ægyptiam ancillam suam patientur. Quare profe-  
ctò valde patientes esse oportet, & magnam, in cælo, coronam  
mereri eas matronas, quæ stirpe antiqua, opibus & forma do-  
tatae, moribusque elegantissimis ornatae; tamen vident coniu-  
ges suos, vel ad vilissimas aliò exerrare, vel etiam domi agere,  
quæ non bellè quadrant matrimonij, & tamen tacent; nullo-  
que, nisi Deo, conscio, identidem ingemiscunt, crucemque  
hanc suam, sanè maximam, Creatori suo, offerunt. Hæ fructū Luc. 8. 15.  
afferunt in patientia: Hæ sponsum Christum habent. Hæ sunt Matth. 5, 4.  
lugendo beatæ, quoniam consolabuntur. Viri autem earum du-  
plici damnatione conterentur, & quia adulteri, & quia faxeji,  
quos neque patientissima tam honestarum matronarum mode-  
stia refrænauit. Quanquam scio, non paucos è cœno hoc ex-  
tractos, qui vxoris omnia scientis & tamen tacentis incredibili  
tolerantia commoti resipuerunt. Non enim tantam virtutem

H h h 2

non

**Annales Soc.  
Iesu An. 1585.  
in Missione  
ad Chichi-  
mecas, in  
Prouinc. Me-  
xicap.**

non amare potuissent. In Annis litteris Societatis nostrae Indus quidam legitur aliisse domi suæ, in oculis coniugis concubinam, non tam Venerem ut exploraret, quam ut coniugen irritaret. Huic nocturnas per tenebras, visa est horribilis cæterua dæmonum, qui cubantis prementes fauces, animam intercluderent: ut ne manum quidem admouere posset ad impendum pectori crucis signum. Verè adeò patiens fuit vox eius, ut non modò non gauderet, aut insultaret marito, sed etiam doleret, & Deum Deique Matrem, pro eo precaretur. Itaque implorata Virgine Maria, per vxorem melius viro factum. Postero igitur die, positis ritè noxis, sic deinceps immutatus, ut familiarissimi non cognoverint eundem frustile. Multi alij tales coniugum patientia in viam redierunt. Si uxores sœuiissent, Furiarum instar, tunc vriue non conciliari possent, sed eas magis abominati. Cui enim volupe est cum Furi habitare?

**III.  
Bonfignor.  
Cacciaguerra  
de Sacr.  
com mun. l. 3.  
cap. 26.**

Memorabile admodum est, quod insignis celebrisque Theologus Bonsignorius Cacciaguerra memorat de Christiana muliere fortissima, quæ non narratione, sed oculis suis accepit, mariti adulterinos amores. Ille enim haud contentus in luxuria abdere, atque infames leonum domus adire, sed ita quoque in illicitam Venerem insaniit, ut in proprias ædes, & fidelissimæ coniugis conspectum, scorta adduceret, publicus adulterio. Vitium enim hoc, cum ut flamma crevit, erumpit, neque sine se in occulto cohiberi, & quomodo erubesceret, qui frontem amisi? Vxor igitur pietati dedita, ac Dei magis, quam suam caussam agens, identidem occasionem captans, maritum, quam potuit blandissime, rogauit, ne tales in domum introduceret, aut fidem sibi datam porrè violaret. Ob quam mitissimam admonitionem, asperè tractata est, & plerunque totidem verbera recepit, quot verba fecit. Aliquando peccatum mariti magis, quam fuorem verita, eiuscmodi eum sermone est affata. Dis est, mi coniunx, cum te patior exorbitantem, & tori jura transgredientem; pone, obsecro, tandem obscenitatibus tuis modum ac finem. Hec vitatibi & opes prodigit, & nomen bonum. In nulla te unquam relevi; tu autem quando cessabis me, quid dico, me? Deum offendisti

eniu me iniuria magis tangunt, quæcum propria. Credo mihi, adulteros ille grauiter solet punire: quorum scelera si, ad tempus, dissimulat, tandem grauitate supplicij compensat tarditatem. Dixit; & commonit virum, sed sicut furiosum, ad iram & crudelitatem. Stricto enim ferro eam adeò atrociter sauciauit, vt semianimè relinqueret. Aduolarunt ad tumultum vndeque vicini, atque, ubi castissimam matronam ore pallidam, corpore reliquo, in suo sanguine iacentem repererunt, suaserunt sicario fugam, antè, quād magistratus illum in vincula abduceret. His tam, in muliere, fortitudinis atque patientiæ exemplum audite. Aliæ coniuges sic tractatae mille Diris & deuotionibus prosecutæ fuissent fugitiuum; vel se exanimatas finxissent: hæc recens percussa, & vulneribus plena contrarium egit. Iam rapuerat mariu[m] pallium, vt fuga sibi consuleret, cùm cruentatis manibus vxor, in cælum sublati, & oculis fletu sanguinem ablentibus, eum cœpit, quād amantissimè alloqui, atque obtestari, ne fugeret. Mi marite, aiebat, mane mecum; noque tibi quidquam metue: misericors Deus ita tibi ignoscet, longèque libenter, ut ego tibi, ex animi mei sententia, jam ignoui. Ea planè spe sum, ut confidam, nihil tibi mali euenturum, eb vulnera, quibus me concidisti. Quod si etiam necessum esse videro, ipsa ego te, quibuscumque modis potero, excusabo. Hæc tam heroica patientia auditibus in doctrinam, adultero autem fuit in medicinam. Addit author, eam feminæ huic tam admirandam animi fortitudinem aliunde non prouenisse, quād è frequenti vsu sacrae communionis. Solebat enim mulier illa, octauo quoque die, ad sacram synaxim accedere. In fortitudine igitur cibi illius, plagas tam atroces, Spartanæ, immò Christiana nobilitate, tolerauit. Vtinam & aliæ coniuges ad hoc diuinum epulum libentiūs, quād ad nuptiales dapes, & choreas iuuenum accederent. Differerent utique mansuetudine sua, vel ferocissimos viros cicurare. Illa enim, quæ pro verbo verba; pro vultuoso aspectu, sputa jaciunt, claves arripiunt, vngues stringunt, pugnos vibrant; mille pestilentias imprecantur, mille diabulos maritis optant; non habent artem maritorum placandorum; sed oleum flammæ affundunt, coniugesque domo exigunt. Quis enim,

H h h 3

sustineat,

sustineat, cum Hecuba, sub eodem tecto degere? Notissimum est, quod supra attigi, fuisse, qui suspendi in furcam mallei, quam laqueo liberari, ab ea femina, quae eum, dum jam ducetur, in matrimonium sibi depositabat. Iudicauerat enim ex acumine nasi, nimis esse biliosam, eaque propter, cum carnifice portiu ad coruos pergere, quam ad perpetuam item, domum redire malebat. Usque adeo, ipso patibulo maior cur est, habitare cum muliere rixosa & iracunda.

Prou. 21. 19.

IV.

Marc. 6. 24.  
Matth. 14. 8.

Quod si quis iracundæ mulieris, & maximè etiam adulteræ exemplum cupit audire, S. Marcum audeat, aut Matthæum legat: inueniet mœcham, apud regem, effecisse, ut inter epulas ferale illud ferculum in mensam inferretur, atque inter pictas pauones, inter phasianos, inter capita aprorum, cruentum Ioannis Baptiste caput, manibus sanguine stillantibus apponatur. Quis ibi sapientiam Numinis non cernit? Ex immensissima mulieris libidine nata crudelitas illustrissimum Martyrem Deo dedit. Truncatus est ferro, qui noluit conniuere adulterio. Crimen innocens reprehendit, & mortem meruit: mortem, quæ pariter & iniuria fuit, & corona. Nam Furia illa mortem illi, in pœnam procurauit, Deus in coronam. Quare vade adulterium, inde & martyrium exitit; mulieris malitia, Numinis prouidentia...

V.  
Sur. 8. Iulij.

Quæ sanè etiam de alterius mœchæ flagitio sibi Martrem fecit. Siquidem instar nouæ Herodiadis, Ethnica mulier ac Ducissa Geilana, legitimo coniuge perfidè deserto, Herbipoli, Gosberto Franconum Duci, per adulterij consuetudinem, adhæsit; quantumuis legitimæ sui conjugis ille Germanus frater esset. Herodiadem habebat Franconia, debebat habere & Ioannem. Igitur misit, ea tempestate, Summus Pontifex Canon D. Kilianum in illas terræ partes, ut inibi Christum predicaret. Nec cecidit semen in sterilem agrum. Ducecum enim Gosbertum Christiana religione imbuit, atque lustralibus aqua tinxit. Dum eum cœlesti pietate eruditore, monuit, fas non esse Christiano, cuiuscemodi mulierem, contra diuinæ & humanae iura, secum retinere. Et habuit docilem ad omnia. Nam duabus verbis eius persuasus, statuit eam, quam primū e bello redisse, (bellum

(bellum enim illi instabat) à se amoliri. Iuit Dux in militiam, sed non latuit Geilanam consilium, neque author eius, de quo facile erat suspicari, etiamsi nullius illum adulatio prodidisset. Non calet femina, sed ardet, quando irascitur. Quare etiam Geilana, instar leænæ venatoris hastâ sauciæ rugiebat; & commodum absente Duce Gosberto, nullum non lapidem mouebat, ut caput & vitam Kiliani peteret. Tandem duos, è fidissimis, quos habebat, ministris, immittens sicarios, multa jam nocte, jussit irrumperè ad innocentem Christi seruum, cum Colomanno Presbytero, & Totnano Diacono suo nocturnas preces persoluentem. Ibi immanis peragitur lañiena. Occiduntur, pro vno, omnes: ne testis supersit facinoris patrati. Viſa est vicisse adultera, postquam cecidit adulterij castigator. Sed mox apparuit æquæ gloria innocentum, ac pœna reorum. Cùm enim & alioqui homicidia non diu occultentur, ibi etiam eædes eodem est authore prodita, quo peracta. Vnum enim è percussoribus illico ater spiritus insedit, identidem ciulabiliter clamantem: *O Kiliane, Kiliane, quām me acerbè affligis? Ab igne vror, & consumor. Quod commisi flagitium, calare non possum. Ensis ille impius tuo crux reſponsus, mibi continuò ante oculos versatur; mibi imminet; me petit.* Talia satis diu vociferans, proprijs dentibus laceravit, quidquid corporis dentibus potuit contingere. E reliquo postea trunco animam, cum dæmonie, euomuit in Auernum. Alter verò eius comes, cædis conscius & socius, in rabiem efferatus, atque insanus factus suomet se gladio traiecit, perruptoque ventre, vna & vitam & viscera effudit, vt percussorem ad promeritas, in Orco, flamas sequeretur. Geilana verò haud multò post & ipsa cruciatibus varijs diuinitus afflicta atque obruta, quām, contentissimis vocibus exclamauit. *Merito meo, misera torqueor, qua in sanctos viros tortores immisi. Merito excrucior, que innocentibus cruciatu martyrum preparauit! O Kiliane, quām vehementer instas! o Colomanus, quām potenter ignem excitas! o Totnane, quām diriter flamam sufflas & suffumigas!* O Kiliane, nomen tibi est a calice: quām amarum mihi propinas calicem? *Vicitis me, o martyres. Nondumne etiam sufficit vicisse?* Talia cùm clamaret, adeò atrocibus agitata est

ta est tormentis, vt à multis validissimis viris vix posset tenari. Ab his tormentis, ad æterna descendit tormenta; punita, non corresta. Ita ostendit, adultera, etiam in hac vita, Deum judgmentem inuenire; si aliud nullum est, quod metuant, tribunal. Sic apparuit, bonis omnia cooperari in bonum; vt enim Confessarij, Concionatores, Exhortatores, virtutes exercent, dum alios reuocant à vitijs; ita & qui adulteria tollunt, possunt martyria mereri. Hoc deniq; pacto ostenditur, quām iracula bestia sit mulier impura. Nilil non audet, vt audeat, quod lubet. Si ergo inferni est imago, habitare cum muliere rixosa & iracunda; quibus libéret habitare cum ea, quā venena, quā vulnera, quā funera meditatur?

## VI.

Prou. 21. 19.

1. Cor. 7. 33.

Nicephor.  
Callist. lib. 8.  
cap. 40.

## VII.

Sur. 11. Maij.

Sed neque cum adultera libet habitare. Qua de causa, etiam Ecclesiæ authoritate, separantur, qui plus ægri experidia tali capiunt, quām si cum fera degerent. Itaque inueniuntur, qui comparis adulterio offensi, toti sese Deo colendo tradiderent, cūm antea essent diuisi. Relicta enim vxore, & rem suam sibi habere jussa, in ordines religiosos intrauerunt; aut alio se in fugam penetrauerunt, Deo seruituri. Paulus ille, inquit Nicephorus, qui ex virtute simplexe est cognominatus, (intet primos Antonij sectatores fuit.) *Quem ferunt rusticam vitam agentem, & cum formosa coniuge habitantem, posteaquam eam in flagrantib; crimine cum mæcho concubentem vidisset, graviter subridentem, adhibito irreverendo, coniunctioni eius renunciasse: eis statim dimissa, ad Antonium peruenisse.* Hic qualis quantulque postea fuerit Asceta, totus orbis nosuit. Ut talis fieret ex uxoris illi flagitio, occasionem præbuit Deus. De adulterio coniugij, de coniuge Mundi nauseam hausit Eremita, vt mallet, in solitudine, inter leones, quām in vrbe cum lupa habitare.

Gangulphus ille, de quo paulo suprà memorau, cūm ruptam à coniuge matrimonij fidem, diuino judicio, compreisserit, debitam ab ea pœnas exigere noluit; ne superioris vita innocentiam promulgando aut puniendo alieni sceleris næuo obscuraret, ita tamen est eam allocutus. *Optaram quidem, si fidem servasses, & legi diuinæ conuenienter te geßses, omnia recum vita huius discrimina perpeti, & prospera atque aduersa omnia, vincung, fortassis,*

tulisse, a quo animo pariter suscipere, simul aquiliter vivere, simul incundè ab hac vita emigrare. Sed quando hoc te scelere obstrinxisti, morte quidem digna es, sed meis manibus nolim tibi necem adferre: diuino potius te judicio relinquo. Et, si quidem dignos penitentia fructus egeris, veniam à Deo impetrabis. Si autem tanta nequitia finem non imposueris, cum authore eius diabolo flammis gehenna inextinguibilibus concremaberis. Meo sane deinceps contubernio nequaquam frueris. Habeas autem tibi, unde possis vitam sustentare, meam propter nuptias donationem. His dictis, cum suos conuocasset, ascensō curru, ad pradīa sua, procul in Auabenſi territorio sita, profectus est, pietatis illi & misericordiae vacans operibus, nullumq; tempus solitis virtutum studijs vacuum abire sinens. At mulier infelix, datam à beato viro possessionem adiit, & jam sua relicta libertati, cum detestando illo Clerico, solita libidini indulxit. Interim vereri cuperunt, ne fortassis zelo inflammatus Gangulphus ambos repente interficeret. Valde igitur in eam curam & cogitationem incubueru, quo modo illum possent è medio tollere. Quod & Clericus sicarium ipse agens fecit. Sed non dilata est diuina vindicta. Vix enim derestabili mulieri nuncium lētissimum suæ immunitatis tulit, & mox cum facibus corporis viscera quoque in cloacam depositus negatog; ipsi pœnitendi spatio, infelicem animam in tartarum premisit. Hæc Surius.

Exercuit hic benignum Numen Gangulphi patientiam, dum vxori noluit turbas concire, neque eam gladio verberare, aut magistratui obijcere. Ostendit insignem fidem, dum, cum vxore, si & ipsa fidelis fuisset, usque ad extremum spiritum, omnem fortunam pati voluisset. Exhibit magnum amorem honestatis, dum noluit viuere cum coniuge inhonesto, ne sceleris esset approbator. Monstrauit præclaram mansuetudinem, dum dimissæ alendæ suam propter nuptias donationem reliquit. Declarauit, nullum facinus tam fœdum esse, ex quo vitæ recte instituendæ hauriri non possit occasio. Siquidem Gangulphus ab uxore secessa se separans, Deo se pietatiq; conseceauit. Quod plane multi hodieque faciunt, qui dum domesticas, inter coniuges, rixas, discordias, odia, imprecations, perfidiasque quotidie vident gliscere, immò ardere, tacite se-

## VIII.

**Matth. 19. 10.** cum aiunt: *Si ita eſt cauſa hominiſ cum uxore, non expedit nubere;* eaque propter vitam eligunt cælibem, & malunt ſponte, in Religioso ſtu, Dei amore, obedire Superiori, quam in coniugio vxoris tyrannidem perferre; aut intueri vitam libidinofam: quod & Gangulphus fecit, quem Sapientiflum orbis Moderator, per vxoris adulterium, ad martyrium promouit. *Quis ex hac radice, talem fructum ſperauifet?* Ut enim vxor eum necari voluit, impuritate agitata, ita ille necem ſuſtinuit, ob amorem caſtitatis,

**IX.**

At verò illud in primis animaduerto, Gangulphum de projectiſſimi pudoriſ femina non desperauiffe, dum eam ſic et affatus: *Si dignos pœnitentia fructus egeris, veniam à Deo impetrabis.* Nimirum, eo etiam fine, cæleſtis illa Sapientia hæc patrari ab hominibus flagitia permittit, vt illorum quoque remiſſione, infinitæ misericordiæ ſuæ theſauros manifeſtet. Nullum in Confessione, crimen male verecundi homines aperire magis erubescunt. Nullum ferè homines magis excæcat. Nullum propè gignit citius desperationem; vel quia illecebris irretitos tenet, vel quia facit, vt præ eo, à carnalibus iſtis, cælum non amplius æſtimetur. Qui ſi perpendant Dei clementiā, ad Deum redire diſcunt. Ad hunc finem pepercit Christus mulieri in adulterio deprehenſæ & à Iudeis in medium adductæ acculatæ, que, vt intelligent omnes, quia *Dominus ſoluit compeditos, Dominus illuminat cacos, Dominus erigit elijos,* dummodo ipſi ſe enig patientur, & amplius peccare nolint. Ad hunc finem Magdalenæ dimiſit peccata multa, quæ cùm fuerit in ciuitate peccatrix, facile potuit etiam eum coniugem habentibus peccare. Quæ enim ita laſciuiunt, haud magnopere curant, liberi aut in matrimonio poſiti, diſcrimen. Quod idem facile credi potest de Maria Ægyptiaca, de nepte Abrahami Eremitæ, de Pelagia Antiochenæ, de Thaide Ægyptia, quæ omnes prostibula fuerunt & meretrices, in omni coeno libidinis voluntate, & tamen veniam à Deo ſuæ impurissimæ vitæ impetraverunt. Enimvero ad magnam poſtea virtutum perfectionem euectæ fuerunt, ut, ubi abundauit delictum, ſuperabundaret gratia. Nam Thais quidem à Paphnutio Abbate conuerta, opes fortunataque omnes

**Ioan. 8. 3.****Pſal. 129.****Luc. 7.****Rom. 5. 20.**

nes, quas non modicas corporis quæstu parauerat, construētā  
pyra, in ignem coniecit; atque de lustro in claustrum; de lupa-  
nari in monasterium; à diaboli diuturna seruitute, ad omnipo-  
tentis Dei obsequium transiuit. Triennio clausa fleuerat fœdè  
acta; eo triennio exacto, Paulo Antonij Abbatis discipulo di-  
vinitus patefactum est, dimissa esse Thaidi peccata. Quare à  
Paphnutio de cellæ primaū, deinde etiam à Deo de corporis  
cærcere educta ad beatorum consortia euolauit. Pelagia au-  
tem, qua diuitijs, venustrate vultus, turpitudine morum, An-  
tiochiae omnes antecesserat, à Nonno Heliopoleos Episcopo va-  
nitatem dedocta, ita, errore agnito, immutata est, vt ornatum  
muliebrem omnem abijceret, &c, quidquid habebat pecunia-  
rum, pauperibus erogaret, vitatoque hominum contuberniis  
ad malum pellicente, in monte Olineti, tugurium sibi po-  
neret, & ne quis solitariæ feminæ insidiaretur, cælato sexu, se  
Pelagium nominaret. Tantum hæc inibi sanctitate excelluit, vt  
pelagus virtutum diceretur, quæ priùs fuerat vitiorum. Idem  
de Abrahami nepte dicitur, quæ lupa facta in ouem est mutata,  
postquam eam Eremita inuentam reduxit. Maria Ægyptiaca,  
quæ, ob infamem quæstum, ab aditu Ecclesiæ diuinitus est im-  
pedita, post lachrymas & pœnitentiam, eò sanctitatis est pro-  
gressa, vt, inter precandum, è terra in sublime eleuaretur, & in  
terra orans terram non tangeret; Iordanem transiens aquas  
calcaret; moritura Zosimum cum SS. Eucharistia venientem  
haberet, ipsoisque leones, vespillonum officio fungentes sortiri  
mereretur. Mariam Magdalenam, cùm nominaui, omnia dixi.  
In illa, vélut in clarissimo speculo, reluxit diuinæ clementiæ  
exemplum. Verè illa dicere potuit: *Miserator & misericors* Psal. 144.  
*Dominus, patiens & multum misericors. Suavis Dominus univer-*  
*sis, & miserationes eius super onera opera eius.*

Verum est, ea est peccati malitia, vt, si ea tantum à pec-  
catore aspi ciatur, facile illum in desperationem possit adduce-  
re. Quid enim peccato à creatura in Creatorem commisso  
peius? Iudas, cùm suam tantum, in Magistrum, perfidiam an-  
te oculos sibi poneret, laqueo sibi animam intertraxit. Hoc  
Cain, hoc alij duntaxat aspergerunt, qui desperantes semetipſos Ephes. 4. 18.

X.

III. traditio.

436 Cap. XXXV. Ex adulterijs variarum virtutum occasio.

tradiderunt impudicitie, in operationem immunditia omnis, in  
auaritiam. Nimirum, qui, ob multitudinem magnitudinem  
peccatorum suorum, de caelo desperauerunt, cælum sibi volunt  
S. Anselm. In facere in terris. Itaque, ut S. Anselmus exponit prædictum lo.  
ep. Eph. 4.

S. Chrysost. recte dixit D. Chrysostomus: Spem abiycere, non solum id malum  
tom. 5. ep. 5. habet, quod cali portas nobis intercludit; aut quod in peiorum igna-  
uiam trahit, & contemtum: aliud habet pessimum, introducit enim  
in socordiam, qualis est satana. Etenim Diabolus ex nullare tantum  
euasit, atque ex prima desperatione; unde in socordiam, cen per gra-  
dus, delapsus est. Ut primum enim anima de consequenda salute du-  
bitat, quo periclitetur præcipitio, amplius non sentit, dicendo &  
sciendo contra salutem suam. Sicut furia correpti, desperata semel  
capitis sanitatem, nihil verentur, nihil eos pudet, intrepide quidvis au-  
dient, in ignem, in mare, in prærupta edita, saxa impigre conuolant.  
In hunc modum, qui se incuria, per desperationem, permisere, din-  
ceps intolerabiles sunt; per iniuria vitiorum assidue discursitant. Et  
neque imminens mors eos, ab insanis deterret, & à depravatione in-  
finitis se calamitatibus consciunt. Hæc Chrysostomus. Comicus  
quoque ait: Ita diis placitum, voluptati ut mæror comes conse-  
tur. Nam his desperatis non solum semper male est ex animi  
anxijs desperatione; sed etiam ex ipsa voluptatis insatiabilitate.  
Vident alios sperare æternam beatitudinem; vellent & ipsi  
sperare, sed putant se non posse, & cruciantur. Vident alios  
metuere gehennam; vellent & ipsi euadere gehennam; sed pu-  
tant esse ineuitabilem; & conturbantur. Denique aiunt:  
Gen. 4. 13. Maior est iniquitas mea, quam ut veniam merear. Ita suam dun-  
taxat iniquitatem aspicientes, in barathrum desperationis se  
jacint.

XI.

Quod si vero, suis criminibus, quantumcumque multis &  
magnis, infinitam Dei clementiam, misericordiam, ac bonita-  
tem opponerent; si expenderent, eum Thaides, Pelagias, Abra-  
hamæas neptes, Marias Ægyptiacas & Magdalenas, & lupana-  
gibus,

ribus, & omni flagitorum fæce eductas in gratiam recepisse; respirarent utique & maximā spem veniæ consequendæ etiam ipsi conciperent, atque cum prodigo filio, ad desertum patrem, cum magna fiducia, reuertenserentur. Nullum enim peccatum adeò trahit ad desperationem, sicut immensa Dei pietas retrahit ad spem peccati benignissimè remittendi. Extende peccatum, quantum potest, maior adhuc erit misericordia, quæ est infinita; tantoqué maior esse cognoscitur, quanto maior est peccati miseria, circa quam misericordia versatur. Quod intelligens adulteri Dauid, nec adulteri tantum, sed & innocentis Vriæ dolosus homicida, ausus est ad diuinæ aures venire. Sciebat sua scelera esse magna, sed & misericordiam Dei magnam esse nouerat. Quare sic oravit: *Miserere mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam.* Secundum magnam, ait, quid ita? An non omnis misericordia Dei magna est? cùm eadem si semper? aut fortasse aliqua etiam parua misericordia est in Deo? Est omnino, non quidem, si illa secundum se spectetur; sed si consideretur, pro ut se ad effectum, ac nostras miseras extendit. Sunt enim in nobis miseriæ quædam paruae, & sunt miseriæ magnaæ. Paruae sunt miseriæ temporales, corporis morbi, febris, cæcitas; inopia, paupertas, calumniæ. Magnæ miseriæ sunt peccata animæ inhærentia, adulteria, furtæ, latrociniæ: talibus miserijs nulla potest maior miseria reperiri. Misericordia ergo diuina, quæ corporales temporalesque hominum miseras tollit, et si in se una eademque sit, cùm omni misericordia Dei, tamen ratione mali, quod tollit, parua dici potest; sicut parua gratia Cæsaris vocatur, qua alicui paucos nuramos donat; magna, qua vitam donat. Vnde duo cæci Christum secuti tantum dicebant: *Miserere nostri;* & alij duo cæci secus viam sedentes itidem tantum dicebant: *Miserere nostri:* Quin & Chananæa, cuius tamen filia male a demonio vexabatur, tantum clamauit: *Miserere mei, Domine;* non addidit, secundum magnam misericordiam tuam: quia longè minus est, à demonio, quam à peccato liberari. At Dauid, cùm ab adulterijs homicidijsque crimine vellet liberari, dixit: *Miserere mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam.* Maxima enim est miseriæ, peccatum,

Matth. 9, 27.  
Matth. 20, 30.  
Matth. 15, 22.

438 Cap. XXXV. Ex adulteris variarum virtutum occasio,  
peccatum, & miseria quæ è peccato sequitur, ipsa gehenna:  
non tamen maior, quam Dei misericordia, quæ & Dauidi igno:  
uit, & Magdalena, & Mariæ Ægyptiacæ, & Abrahæ nepi, &  
Pelagiæ, & Thaidi, & ipsi in cruce latroni. Hæc est glori:  
Dei, quæ, per ipsa adulteria illustratur; patesit enim eius ma:  
gna misericordia, dum etiam auferre magnam miseriam dem:  
stratur.

Ouid. lib. 2.  
de Trist.

Nam nisi peccarem, quid tu concedere possa?  
Materiam venia fors tibi nostra dedit.

ait ille. Dum autem patesit Dei tam immensa clementia, in  
vno, spem facit omnibus adulteris, homicidis, & maximis pe:  
catoribus, si velint tandem misericordiam consequendi. Agite  
igitur, ô impuri, tandem desistite à vijs vestris pessimis; spem  
firmam concipite; redite ad Dominum cum Dauide; resipi:  
te cum filio prodigo; orate cum latrone; lachrymate cum  
Magdalena; cum Pelagia & Thaide, & alijs in fæda facinor:  
lapsis, dicite: Hucusque, ô Deus, tristis fui; nunc *Exultabo, &*  
*labor in misericordia tua.* Nam tu miseris omnium, quia omnia  
potes, & disimus peccata hominum, propter paenitentiam. Aga:  
igitur paenitentiam ex hac hora; neque amplius offendam tam  
clementem & benignum parentem, tam misericordem & bo:  
num Creatorem: tam patientem ac mitem judicem, tam mei  
amantem Salvatorem; & si aliud nihil possum, saltem lachry:  
mas fundam, pro eius honore & amore, qui pro salute mea  
sanguinem fudit. Quod si quis coniugij fidem; id est fidelita:  
tem, in seruandis mutuis promissis, violauit, tanto post hac eam  
pluris faciat; illudq; Apostoli diligenter peccatori suo imprimat:  
*Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter au:*  
*tem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.* Grauitas  
S. Augustinus ait: *Huc accedit, quia in eo ipso, quod sibi innatu:  
coniuges debitum solunt, etiam si id aliquanto intemperantius & in:  
continentius experunt, fidem tamen sibi pariter debent. Cui fidei test:  
rum juris tribuit Apostolus, ut eam potestatem appellari, dicens:*  
*Mulier non habet potestatem sui corporis, sed vir, &c.* *Huius autem*  
*fidei violatio dicitur adulterium, cum vel proprie libidinis instincto,*  
*vel aliena consensu, cum altero, vel altera, contra pactum coniugale*  
*sancitudo.*

Psal. 30.  
Sap. 11.

1. Cor. 7. 5.

S. August de  
bono coniu:  
gali c. 4.

concubitur, atque ita frangitur fides, qua etiam in rebus corporeis, & abiectis, magnum animi bonum est, & ideo eam saluti quoque corporali, qua etiam vita ista continetur, certum est debere præponi. Illud quis putare posset, in hoc tamen coniugium cælibatui præstare, quod in isto pronier sit lapsus, rarius in illo, ob remedium incontinentiae, quod in eo habetur: respondet S. Chrysostomus: *Pudicitiam is qui uxorem habet, facile seruare posse videtur, quippe solatio non minimo suffultus; ceterum in reliquis nulla comparatio est.* Verum sic quoque longe plures videas lapsos ex conjugiorum, quam Monachorum ordine. Neque enim tam multi ex monasterijs ad matrimonia accedunt, quam ex iugali toro se adscorparecipient.

## C A P V T XXXVI.

*Quanta ex zelotypia & ira vitio, præsertim in matrimonij, mala oriuntur?*

**V**itiorum occasione, possunt exerceri virtutes; ita vicissim quotidie, occasione virtutum vitia exercentur. Quare etiam, quemadmodum alij moechis veniam dantes sunt patientes; ita alij castis atque innocentibus non illarum, sed sua culpa irascentes, dum crimen singunt, in crimine incidentur. Siquidem non Helenas tantum matrimonia habent, sed & Penelopas, & Lucretias, quæ fidem tori sacra-fandam seruant; & tamen non sunt in matrimonio beatæ. Nimirum, quos nequit humani generis hostis in adulteria pellicere, impellit in suspiciones adulteriorum; ob quas suspiciones vulgo ignotas, coniuges utique tribulationem carnis habent, & sape funestum exitum. *Romanus ille, amicis castigantibus, quod pudica dixit, formosaque uxori nuncium remisisset: pede porrecto, Hic quoque, inquit, calceus pulcher aspectus est, ac nouus, sed nemo scit, ubi me premat.* Non crimine tantum premuntur coniuges, sed etiam criminis suspicione. Itaque iustus Deus permitit eiusmodi suspiciones, non modo ut consors, & pars innocens matrimonij voluptatem, patiendi materia temperet; sed etiam ut suspiciosos, ipsa sua suspicione plectat: ac temere in-judicia-

S. Chrysost.  
lib. 3. contr.  
Monast. Vi-  
tuperat.

I.

Plutarch. in  
coniugalib.  
præcept.